
VITT. EMANUE
A






OPVS NOVELLVM

FRANCISCI NOVELLI, NOBILIS RO. I. V. PROFESSORIS, FISCI. RO. PROCVRATORIS.

DE PILEO CARDINEO ET AMPLISSIMIS CARDINALIBVS AD PAVLVM . III . ROMANVM PONT. MAX.

MAVRVS SALVIDIVS.D. FRAN CISCO. NOVELLO. S. P. D.



Vmmopere admiratus ſum mi doctiſſime Nouelle de diuino tuo ingenio ꝙ acutiſſime ꝙ uehemētiſſime, ac demum ingenioſiſſime facta priorum in paruo uolumine digeſſiſti, in quo genere uideris mihi ſingulos nō ignaros longe authores præcellere: Excitando uero animos, ac Chriſtianorum pectora ad inuadendos infideles, prætefers quandam oratoriam artem, quam pro ſuæ dignitatis magnitudine, nemo mortalium adhuc attentauerit. Demum Cardineum pileum, & Patrum inſignia, ac faſces, cæteraſꝗ uirtutes in paruo uolumine uti totum Oceanum in arctiſſimis littoribus, circumfuſum, congeſſiſti. Quamobrem oro te, ac obſecro mi Franciſce, ut hos aureos, atꝗ diuinos libellos tuos, quos eruditiſſimo ſtilo edidiſti ad imprimendum impreſſoribus ꝙ citius tradas. Nam monumenta illa ad recte, ac honeſte uiuendū uniuerſo (meo iuditio) orbi erunt exempla. Et nobilibus, ac egregijs Viris tuus iſte liber contra Turcas, tanꝗ acutiſſimus ſemper ſtimulus extiterit. Sanctis uero ac probis Chriſticolis de dignitate & magnitudine Patrum extrema tui pars libelli, magna ingentiaꝗ ingeret gaudia, & fœliciſſime & diu bene ualeat.

Cornelius Georg. Roterodamus.

Pileus insignis uario sudore paratis
Floribus instruitur, perlege Lector opus
Pileus hic retegit roseoq; colore nitescens
Pontifices, Reges, Cardineumq; decus
Conuocat in Turcas animos Regumq;, Ducumq;
Demulcens hominum corda sonora tuba
Protulit en fœlix nimium studiose libellum
Francisci ingenium qui nouus arte uiget
Tarda Senecta licet celeres frustrauerit artus
Iam calamo facilis plura nouella dabit

Hieronymus Britonius.

Si doctrina, & amorem Auctor, laudemq; meretur
Hunc, istam, atq; illum, iure habuisse putes
Namq; Duces narrat templi, ipsorumq; Galeros
Hos cœli, mundi hos, dona, nouumq; decus
O dignum Auctore inuentum, laus ista, nec illa est
Quæ capit affectans, quod canit alter, opus

Scipio Bongallus Abbas Fiani.

Gesta refert Veterum, in Turcas mouet arma Nos
Concelebrat fasces, lanigerosq; Apices Cuellus
Hæc tempestati tria nos debere fatemur
Paule tuæ: tria qui hæc nomine req; facis
Virtutes ueterum sequeris: disperdere Turcas
Mente agitas; ornas Cardineumq; locum

Tempore non poterat melius meliore Nouellus
Scribere, cum Paulus tam bene scripta facit.

Ianus Vitalis.

Romanum ingenium qui defecisse queratur
Inuidet is scriptis culte Nouelle tuis
Nam licet ad causas natus uideare tuendas
Proq; tuis sanctum ius recitare reis
Non tamen indignum reputem te munere tanto
Vt fiat meritis maxima Roma tuis

Petrus Cursius.

Ingenij pollens rari nouitate Nouellus
Romanis sacrat Patribus istud opus
Quo scripta inuenies priscos retegentia ritus
Multaq; quæ docti præteriere Patres
Lector ut hunc mirere uno tot claudere libro
Tam bene, tam breuiter, tam potuisse pie

Alia carmina in laudem huius operis.

Grandia Franciscus clausit monumenta Nouellus
Exiguis tabulis ordine ducta nouo
Excitat in Turcas animos Regumq; Ducumq;
Pro patria, & Christi relligione sacra
Tum, pileo insignesq; Patres, titulosq;, genusq;
Cunctaq; uirtutis gesta notanda refert

Aliud.

Francisci ingenium pollens nouitate Nouelli
Romanæ sedi dedicat istud opus
Hic scripta inuenies, quæ sunt spectantia sacros
Ritus. Quæ ueteres non tetigere Patres
Antiquos ritus fateor sermone stiloq;
Hos tamen in libros condidit ipse suos.

Aliud.

Dum ueteres euoluit Auos noua regna Nouellus
Constituit Populis & sibi cautus opes
Pileus æternis dum Chartis mittitur ingens
Velleris & rosci quid ferat almus apex
Ecce per immensum rerum mare puppe secunda
Multa tibi e uario flore corolla uenit

Paulus . pp̃. iii



Vm dilectus filius Frãciscus de Nouellis Ciuis Romanus opus de Pileo Cardineo & ãplissimis Cardinalibus nobis dicatũ composuerit q̃d Vicarius noster in spirituali bus in Vrbe, & nostri sacri apostolici palatij Magister & laudarunt & probarũt & iam impressioni dederit, uereaturq; ne si per alios imprimatur, illi aliquid addatur uel detrahatur. Id circo motu proprio &c. tenore præsentium, harum serie decernimus, statuimus, declaramus, & edicimus, ne quis illud imprimat, uel imprimi faciat, aut impressos uendat sine expressa dicti Francisci licentia. sub excommunicationis & uiginti quinq; aureorum pœnis Cameræ nostræ Apostolicæ applicandorum pro singulo uolumiue, per quinquen nium. & ita per præsentes expresse præcipimus & inhibemus, contrarijs non obstañ. quibuscunq;. Et uolumus q̃ præsentis nostri motus proprij sola signatura sufficiat.

Placet. A.

PAVLO. III. PON. MAX. FRAN
ciscus Nouellus Ro. Iu. V. Professor.
Fisci Ro. Procurator. Seruorum
minimus atq; deuotissimus.

S. P. D.



Vm multi ex me quæsissent Pater Bea-tissime cur Innocentius. IIII. Max. Pont. natione Genuensis, gente Bisca. ex Lauaniæ Comitibus nobili & clara, cum scientia & doctrina insignis, tum moribus & uitæ candore excellentissimus instituerit, ut Cardinales equo uecti in publicum progredientes rubro uterentur pileo. Quia subita præcepsq; respon sio sæpe rephendi solet. a. anteq; quicq; responderem, hæc elucubrare uolui. Non me fugit ea non satis digne & eleganter a quoq; describi potuisse. Sed ego quantum pro mei ingenij qualitate potui, (ob ueterem meam, in. S. V. seruitutem) hæc scripsi, & ad te sanctissimum Patrem amplissimorum Dominorum Cardnalium caput, in quorũ numero es. b. sicuti in senatorum numero Imperator. c. græce, & latine doctissimum, maxima rerum experientia eruditum, inclyta Pharnesiorum familia, perantiqua sane ac nobili, multis rebus gestis domi forisq; præclara, eminentissimum scientiarum omnium culmẽ cui omnia cognita sũt. d. tuo diuino iudicio cor rigenda & castiganda mitto. Et quamuis dicatur, q; color ille pilei coccineus Cardinales admonet, ut pro Christi fide, proq; libertate Ecclesiæ parati

a. Ar. l. fi. ĩ fine C. de dot. pmis

b. Scdm Archi. i c. sacrosãcta. xx. distin.

c. L. ius senatorũ. C. de dig. li. xii.

d. c. p. lectis. xxv. dist. ibi. & licet omnia circa pri cipium &. in. c. i. de constitutionibus lib. vi. in principio.

fint proprium sanguinem effundere pro ut Max. Pont. in ipsis sacramentalibus & formalibus uerbis dum pileum Cardinali imponit expressis uerbis declarat, tamen hoc cum ita sit non ab re sub correctione uestra sanctæq; Ro. Ecclesiæ, cui me & hæc omnia subjcio. Forsan intelligi & dici posset hunc Innocentium sanctissimum & doctissimum, Pont. Max. ultra id ad excogitandum & instituendum tale gestamen motum, eo q; pileus olim semper fuit honoris & sacerdotalis dignitatis ornamentum insigne. Nam Gentilium Sacerdotes qui flamines dicebantur, in capite habebant pileum, in quo erat breuis uirga, desuper habens lanæ aliquid, quod cũ propter æstum ferre non possent, filum tantum in capite religare cœperunt, quoniam nudis eos penitus capitibus incedere nephas uidebatur, unde & a filo quo utebantur Flamines dicti sunt, quasi filamines Verum festis diebus filo deposito, pileum imponebãt, p Sacerdotij eminentia. a. & græci autore Dionysio Flamines uocabant stephanophoros, hoc est coronã gestantes: & Flaminea. b. eius domus nominabatur. Apud Romanos hic ordo maximus putabat. c. apud quos fuerunt Flamen Dialis Martialis & Quirinalis. Dialis. Ioui. Martialis. Marti. Quirinalis Romulo, Antiquitus sacrificium facientes (ut Virgilius. d. docet) purpureo amictu caput uelabant. Numa Pompilius de Pontificalibus scribens ait pallium quo sacerdotes caput tectabant, cum ad sacrificium accederent tutulũ dici, sicut & Virgilius ait, & capita ãte aras phrygio uallatus amictu

[Margin notes:]
.dist. xxi. e. cle-
os.

). Gellius. ix. lib.

: Vt per plutar.
in pblematibus

d Tertio Aenei
dos.

ut Fulgetius Cartaginēsis Episcopus refert. a. Tutulus etiam ornamentum capitis flaminearum uitta purpurea inexa crinibus in altitudinem erecta ut flaminica a cæteris discerneretur, fuit. Christus Ihesus, Seruator noster Euangelistarum testimonio nonne purpuream uestem induit? Papæ purpurea chlamis: tunicaq; coccinea datæ sunt?. b. Hic color nobilissimus habetur, & omnium gratissimus, & ideo Cardinalibus conueniens adinuentus, Quoniam Purpurati illi dicebantur, q apud Principē dignitate fulgebant. c. Fuit quoq; pilei libertatis parte honorabile signū. d. Quælibet dignitas habet propria insignia. Max. Pont. diadema habet sui capitis coronam. e. simulq; & phrigium nec non superhumerale lorum quod imperiale circundare assolet collum, & ultra sacerdotalia omnia imperialia ornamenta prisco tempore laurea coronabantur, qui ob deuictas bello urbes, aut subactas prouintias, exercitusq; hostium fugatos, accæsos de hostibus triumphabant, Imperatores appellati, qui mos usq; ad Caium Iulium Cæsarem Dictatorem & Imperatorem Maximum seruatus dicitur, & id Imperatoris nomen retentum, ideoq; & ipsi se sic Imperatores dictos gloriabantur. & summæ dignitatis loco inscribi & cudi, mandabant. Eam uero coronam prisci illi triumphales Viri ob uirtutem meriti, diebus solemnibus, aut ludis publicis honoris gratia gestabant. Sed. C. Iulius Cæsar, gestandæ laureæ diebus singulis, ius a Senatu impetrauit. f. Habuerunt & Romani alia diuersa coronarum gene-

a. In mytolo ad carum psb

b. c. consta nus: xcvi. dis

c Cicero lib Tuscul.

d Seneca lib moralium ep stolarum.

e. xcvi. c. Co stantinus.

f. Suetonius ī ta Cæsaris.

ra, quæ cum peruulgata sint silentio inuoluimus; Fœciales & Paterpatratus fœdera facturi, uel bella indicturi herba sacra Verbena coronabantur, quæ puro ex loco aut sacro decerpebatur, has herbas Martianus Iurisconsultus sagmina appellat, quas Legati Po. Ro. ferre solebant, ne quis eos uiolaret. a. na sanctum a sagminibus dicitur, quod ab iniuria hominum defensum atq; munitum est. Carolus magnus primus apud Latinos ob eius in sacrosanctam Ro. Ecclesiam & Pōtifices merita, adeptus Imperium ter Ro. Po acclamante. Carolo Augusto a Deo coronato magno & pacifico Imperatori Vita & Victoria. Post sacra solenia b. a Leōe. III. Max. Pont. Imperiali corona in æde diui Petri donatus est, & hinc noua coronandi consuetudo exorta. Eligendi autem modus a Gregorio. V. ex Germania oriūdo. c. Pon Max. adinuentus, & a quibus eligeretur decretum. Quibus autem coronis Romanorum Rex coronetur in constitutionibus Clementis. V. Max. Pon. habetur. d. Audiui & legi Sigismūdo Imperatori inuictissimo auream coronam margaritis gemmisq; distinctam, hemyciclo supra caput in crucem reflexo, per Eugenium. IIII. Max. Pont. apud diui Petri basilicam impositam & ueteri instituto Sigismundum ueste sacerdotali indutū, cum eadem corona ad Lateranensium ædem cum ingenti pompa & apparatu maximo equitasse; & Friderico. III. fe. me. Maximiliani Serenissimi Romanorum Regis genitori per Nicolaum. V. Max. Pon pariter impositam coronam, & sacedotali ue

a. L. sanctū ff. de ... diu l. fi. ff. de ... gatio.

b. Vt apd Platinam in vita Leonis. iii. & alios historiographi.

c. Vt in vita ipsius Gregorii apd ... latinā & in glo ... c. ad apostoli ... de re iu. li. vi

d. In gl. Cle. Romani Principis de iure iurando per verbo vestigiis.

Sigismūdus imperator.

Fridericus. Maximiliani Regis Ro. pater.

Nicolaus v. p.

ste indutum, non minori pompa & apparatu de more ad eandem ædem equo uectum. Carolus. V. inuictissimus Imperator semper Augustus Boniæ in æde diui Petronij maiorũ more (ut solet) gẽmis & auro radiatus, omnium plausu, lætitia & triũpho maximo, a Clemente. PP. VII. auream imperialem coronam cum illo hemyciclo, multis adamantibus, smaragdis, maioribus unionibus aliisq; ꝑciosissimis gemmis ornatam accepit, & sic per Bononiam ornatus (ut moris est) ante eum pulcherrimo ense, perlucida pila rutilãtibus in ea lapidibus multis pretiosis, publice delatis, magno apparatu & pompa, magno comitatu prodijt cum alijs et imperialibus insignijs. Imperator etiam infula utitur, Rex coronã habet. a. siue illo hemyciclo, siue thiarã persicum genus capitis ornamentum, Archiepiscopus palliũ. b. Episcopus dũ sacra facit mitrã. c. qua Syrij & Lydij utebantur. Clericus coronam habet in parte capitis superiori hoc est, ab asionem rotundam in modũ sphæræ. d. Erant & ifulæ consulares & Præfecti prætorio Erant & infulæ Magistri officiorum Proprium habitum habebant philosophi. ut cognoscerẽtur ab imperitis. e. Infulæ erant fasciæ in modũ diadematum. f. ex quibus uittæ ab utraq; parte pendebant. Infulæ quoq; filamentum sacerdotum dicebantur & infulæ filamenta alba, cuibus templa ornabãtur Nuptæ priusquam mariti domũ intrarent infulis postes ornabant. g. Si quis summum Patritiatus honorem consequebatur, infulis susceptis a patria potestate liberabat. h. Romu

a. xij. q. i. duo sũ
b. Gl. in Clemẽ. ne Ro. de elect
c. Cẽtesima dist. si. contra morẽ & de usu pali ad honorem.
d. xij. q. i dicto. c duo sunt.
e. C de ꝑmiceri l. ii. in fine li. . x i
f. C. de ꝓfessori bus & Medicis reddatur.
g. Seruio reste se cũdo Aeneidos Ita fi stus.
h. C. de decuriõ bus l. fi. li. xii. & in amenico cõ stitutionesq; de dignit...

lus centum creauit Senatores, qui Patres dicti sunt, Patritijq; ex eorum progenie appellati, Hæc Patritiatus dignitas cæteris omnibus anteponebatur ut summa, eratq; Patritius quasi Principis Pater, Unde cum Ro. Ecclesia Senatũ habeat. a. & Cardinales Patritij dicantur, merito uisum uidetur Innocẽtio summo Viro tantæ Cardineæ dignitatis (quæ summo Pontificatui proxima, imo coniuncta est) ratione habita, ut dum Cardinalis, equitaret sacrum rubrum gestaret pileum, priscum sacerdotalis dignitatis ornamentum, sphæricam habens formã quæ perfectionem significat. Huius sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalium Senatus, aliqui sunt Episcopi aliqui Presbyteri, & aliqui Diaconi, Si ultra mare Legati a Pont. Max. mittuntur, purpureo paludamento auratis calcaribus, niueo equo, phaleris ornatis uehuntur. Addidit & Paulus. II. Max. Pont. illis purpureas infulas, candidas sericias mitras, & equis purpurea tegmenta. Sed dum cum Papa in supplicatione ad Deum (quam processionem dicunt) coequitant, albis linteis equis coopertis utuntur. & præsertim die qua ex æde Beati Petri coronatus ad Lateranensem equitat basilicam, purpureis tamen uestibus, purpureis infulis, Cardinales qui fratres seu monachi fuerunt, non utuntur. Cardinales. Pont. Max. fratres dicunt̃. b. & spirituales. S. R. E. filij. c. estq; tãtæ fidei Cardinalis & authoritatis, q̃ sine litteris maximi Pont. ei credit̃. d. tanta ẽ eius fides. Nam propter eorum singularem industriam exploratamq; fidem religionem & grauitatem ad

a. Vt in spec. de ...g. §. iii. xvi q. ... ecclesia & ibi ...chi. & doc. in. ... fundamenta d ...ect lib. vi.

b. c. clerici offici de vita & ho. ...eri.

c. c. fœlicis de ...e li. vi. c. p ve...erabilẽ qui fi. ...nt legit.

d. ...xcvii. di. c. no...ili ...mus & ibi ...l. & Inno in c. ...ĩ olim de priu.

tantam officij magnitudinem pro eorum sapientia ac dignitatis luce Præfectis p̄torio æquiparātur .a. ut non aliter iudicent, quam summus pontifex . & ideo a Senatu Cardinaliū non appellatur. b. sicut a sententia papæ. & dicuntur illustres & æquiparantur proconsulibus . Summus pontifex Ecclesiæ uniuersalis hostium est. dixit Christus Dominus ego sum hostium per me si quis intrauerit saluabitur. Ipsi autem Cardinales amplissimi huius hostij Cardines. præfigurari uidentur hæc ueteri testamento, ubi legitur Solomonem cardines hostiorum domus interioris ad sancta sanctorum &, templi ex auro fecisse . Quid autem aliud esse potest hæc domus interior, quam sancta Ro. Ecclesia, cuius papa hostium est, & ipsius Ecclesiæ sacramenta . c. q cardines hostiorum huius domus, nisi Reuereñ. Cardinales. qui horum sacramentorum dispensatores sunt, & leuitico iure summo pontifici, qui sanctus sanctorū est, in exequutiōe sacerdotales officij assistunt. d. præfigurari etiam uidentur alibi ubi legitur . Domini sunt cardines & posuit eos supra orbem, Nā isti cardines super orbem Cardinales uidentur. Habetur & in Iob. Gloriosum Deum circa cardines cœli. Cardines sunt altissimæ cœli patres, quas græci πολους & latini uertices dicunt. Legitur & Exodi. Applica quoq; ad te, Aron fratrem tuum, cum filijs suis de medio filiorum Israhel, ut sacerdotio fungantur mihi. Verificari uidentur etiam hæc nouo testamento, per illud quod Paulus Apostolus dixit, Templum Dei sanctum, quod uos estis, &

a Glo. in. l. vn ff. de off. pre cti pretor.
b. L. i. ff. a quib appellare non cet & xvi. q. c. clesia in gl.

Solomon vet testamento.

c. Secd̄m Arch d. c. sacra.

d. d. c. p̄ vener

Iob.

Exodi.

Paulus ap̄ls.

alibi. Eos superædificatos supra fundamentũ Apostolorum & prophetarum, & in Christo Ihesu summo angulari lapide omnem ædificationem constructam & in templum sanctum in domino, & successiue subiunxit in quo & uos ædificabimini in habitaculum Dei in spiritu sancto Vna hæc est uniuersalis Ro. Ecclesiæ fidelium domus, hæc est mater Christifidelium & magistra, quæ super oẽs alias ordinariæ potestatis principatũ obtinet. a. Hic est ille portus & patrocinium totius orbis terræ salutare, hoc est illud sacratissimum templum, unde tot sanctissime constitutiones, grauissima & æqsssima decreta manarunt, ubi & uniuersæ Reipublicæ Christianæ salus ac uniuersi totius orbis deniq; gubernacula administrantur, hic tot fœdissima nepha riorum hæreticorum scelera patefacta, & tandẽ sublata & extincta sunt. b. Hic tot Episcopi iudicati & depositi & demum restituti & recõciliati. c. Ex hac augustissima sede (ut scitis) non modo iura, petuntur, uerum fidelium animarum salus. d. Tãta ẽ eius sanctitas & reuerentia, Hoc in loco maximorũ Sacerdotum. Imperatorum, Regum & aliorum principum ac potentatum malesentientium perditi conatus oppressi sunt, & non modo conciliorum & iudiciorum semper fuit auctrix, origo, causa, moderatrix, sed sæpe mulctarum, pœnarũ, &, priuationũ. e. Nam si de ijs, quæ ad Deum pertinent sũmus põt. iudicare potest, multo magis de inferioribus & prophanis censeri debet. Quia, Max. Pont. animarum fidelium pastor est, Christus Dominus dixit Petro

a. c. antiqua de priui. in princ.

b. c acatic. xxiiii. q. ii. c quidam & eadem. q. synodus. xvi. dist.

c. c. Ioanes Christostonus. l. dist.

d. c. nouit de iudiciis. c. per uenerabilem, qui fi. sunt leg. §. rationibus & ibi ĩ gl.

e c. ad apl'icæ. de re iud lib. vi. clem. i. de iu. iur.

Apostolorũ primo pasce oues meas.. p. Sane extra hanc domum nullus saluabitur. q. Et uesanus iudicandus est, qui in ea non fuerit. Nam prodigioso auctu, indignante diluuio, qui in arca Noe nõ fuit, perijt. r. Magnus Carolus Christianissimus Imperator, cuius supra meminimus, cardines huius sacrosanctæ domus uniuersalis ecclesiæ fulsit, Carolus. V. inuictissimus Imperator semper Augustus, iam dictæ sacrosanctæ domus Defensor maximus instaurabit & muniet. Ille Desyderium Longobardorum Regem cepit, Saxones sæpius rebellantes bello uicit, Saracenos Hispaniam fere omnem infestãtes, intra Bethicæ angulum compulit, Sclauos Danos & Baioarios tumultuantes in suam ditionem redegit. Hunnicum bellum octauo post anno fœlicissime cõfecit, Carolus iste quintus ut Caradinum Sultanum Barbarossa cognomento Regem Tunisceum breui bello fugauit, Tunetum cepit & de Aphrica triumphauit, ac tot Christianos qui sub iugo Barbarossa longa seruitute sæuitate & tyrannide detinebantur, sua uirtute & ope liberauit, sic propitiãte Deo a Christianis illis, qui sub Turcarum & infidelium iugo detinẽtur expectatus & desyderatus Imperator Max. Carolus, dominicæ crucis sigum Christi Seruatoris nostri uexillum sequutus, illos liberabit. Constãtinopolim maximis exercitibus breui bello iuadet & capiet. Solyman & alias ciuitates & terras quas Turcæ & infideles ad iniuriam nostram tam impie & turpiter tenent, recuperabit. Igitur Christi fidem profitentes sequaces accedãt, & ad illas partes & sinus fœ

p. c. significa[...] de electione. q. l. i. C. de sum[...] tri, & fid. catho[...]

r. xxiiii. q. i. vet[...] otiẽs & habet[...] genes, vii. c.

liciter, de uictoria non diffidentes conuolent, Quoniam uictoria in manu Christianorum est. Ita iam diuinitus constitutum est, & Christus uocatus semper aderit. Christi nomine, iustis Christianorum armis fugacissimi homines profligabuntur, confrigentur, cōterentur, & Christiani palmam fœlicem Victoriam, triumphum & splendidissima trophæa reportabūt Quid per Deum immortalē pulchrius, fructuosius & honorabilius esse poterit, quam iustissimo & apertissimo Marte contra hos immanes & sceleratos totius Reipublicæ Christianæ hostes, uno animo, uno spiritu, una uoce, una cōtentione arma mouere? Cōtra hos Christiani eorū simultates, diuisiones & odia relinquentes, uirtutem ostendant. Quis tantæ necessitati, & tam pio, honesto, glorioso & salutifero operi non subueniat, pie iam moueatur quisq;, sanctissimæ fidei nostræ religione, proponatq; sibi præclarissima priscorum illustrissimorum Christianorum cōtra Turcas & infideles gesta & in illorum exemplū sponte uocentur & trahantur. Cessent, cessent iā (inquam) Christianorū diuisiones, dissensiones, & publica & priuata odia, & ad hanc honestissimam, sanctissimam & gloriosissimam expeditionem. uindicandumq; & recuperandum Christi sacrosāctum sepulchrum. accedant cuius pristina dignitas, frequentia & conuentus. iam Christianorum omnium querimoniis desyderatur. Leo pp̄. X. ad serenissimum diuæ. mem. Maximilianum Ro. Regem misit Thomam tt. S. Sixti. ad Christianissimum Francorum Regem Bernardum, tt. S. Mariæ in porticu, ad fœl. me.

Ferd. Catholicum hispaniarum Regem, accerrimũ infidelium hostem, Egidium, tt. S. Matthæi ad Anglorum uero Regem, Laurentium Campegium, I. Vtriusq; splendidissimum lumen amplissimos Cardinales, ut suo nomine, eorum interuentu, opera & patrocinio aduersus hos nequissimos Christianæ religionis hostes excitarentur, commouerentur, & disponerentur, ad suscipiẽdum tam sanctum piũ & iustissimum bellum, toties, tot, tantisq; pecunijs collectis etiam per alios Ro. Pontifices tentatum, & nunq̃ quicq̃ laudabile gestum, taliter q̃ Turcæ Constantinopoli & alijs terris & locis Christianorũ non contenti, audentiores facti Rhodum ad Christianorum iniuriam capere ausi sunt, & maiora Christianorum discordia audent. At tu Paule. III. Pater Sanctissime. D. N. tua authoritate, consilio quo plurimum uales, prudentia, singulari sapiẽtia; incredibili erga omnes charitate, doctrina, sanctitate, quibus cuncta moderaris, gubernas, & regis, ut tui proprij officij est, procurata discordantium Principum Christianorum concordia, quæ ab omnibus desyderatur, & differenda non est. Christo Duce hoc tuo fœlicissimo Pontificatu, eundem Carolum tuum obsequentissimum filium, Ecclesiæ defensorem maximum, inuictissimum Imperatorẽ semper Augustũ, qui tãta potentia pollet, ad tam necessariam expeditionẽ adhorteris, trahasq; in hãc sentẽtiã Reges & alios Christianos Principes & Potẽtatus oẽs, ut iã oĩa in Christianorũ potestatẽ & potẽtiã redigãt, bellũ facile erit, & uictoria certa q̃m


Christus Deus semper aderit & fauebit, si sanctitas tua, quæ trino numine omnia temperat, gubernat, et regit, sua pia & sancta manu. S. Crucis signo suam authoritatem præstabit. Sed iam ad institutũ Cardinalium reuertamur. Dixi Cardinales a cardine. hoc est, regimine appellatos quia cum Max. Pont. Romanam regunt Ecclesiam. Tamen aliqui uoluere dictos a quatuor uirtutibus cardinalibus, quibus fulgere debent. Iustitia, Prudentia, Fortitudine & Tẽperantia. Aliqui q̃ Fidem, Spem, & Charitatem tenere debent. Aliqui q̃ proprium in Ecclesia Cardinalis habeat titulũ & propria cura Ecclesiæ sibi credita sit. Sed uerius uidetur illud, q̃ Cardinalis a cardine, hoc est, regimine nuncupetur. Quoniam sicut cardo est quasi ianuæ cor, quo mouetur, & animantia motũ a corde suscipiũt, & sic fores a cardine. S. ita Cardinalis à cardine. hoc est. regimine dicàtur, cũ circa Papam & Cardinales fides nostra uertatur, & ipsis cum Papa beatissimo Christi uicario omnis cura, omnisq; potestas credita sit. Nã si dubiũ arduũ aliquod, aut discrimen eueniret, ut fides, siue ius in quæstione uersaretur, Papa cum Cardinalibus iudicabit. Ipsi hoc pondus sustinent, itaq; omnia officiose, egregie, oĩa iuste, omnia sancte cum integritate conficiãt, ut tanq̃ e sacrario & spiritus sancti habitaculo fides eorum elucescat & manet, Edepol eorum diligẽtiam Christiana Respublica desyderauit, hanc optauit Reipublicæ Christianæ commodis. utilitatibus & ornamentis, constãtissima fide inseruiant, Iustitiã impensissime diligant quoniam diuino iure Leuitici

Virgilius, foris cardo stridebat ahenis.

generis Sacerdotes dicuntur, de quibus ueteri habe-
tur testameto. t. ijs ipsis uerbis. Si difficile, & ābiguū apud te iudicium esse prospexeris, inter sanguinem & sanguinem: cām & causam, lepram & leprā, & iudicium intra portas uideris uariari, uenies ad Sacerdotes leuitici generis, & ad Iudicē qui fuerit illo tempore qui iudicabunt tibi iudicij ueritatem & facies quæcūq; dixerint, qui præsunt loco quē elegerit Dominus, sequerisq; eorum sententiam, qui autem superbie it, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, decreto Iudicis morietur. Hactenus ueteris testamenti uerba in sacris papalibus decretalibus relata. u. Nam sine iusticia nihil laudabile esse potest, & ita in hac humana societate necessaria est, sicuti in animato anima, homo namq; ad uirtutem & excolendos animos, beneq; & beate uiuendum nascitur, ut suis bonis operibus uitam acquirat æternam. Firmiter tenere debemus animam immortalem esse, & habere Christum Deum Iudicem, cum fuerit a corpore separata. Bonæ animæ læta sortiūtur loca in quibus summa est fœlicitas, malæ ꝓ peccatis apud inferos cruciantur. Extincto enim homine hæc duo ex eo remanent, anima scilicet & nomē. x. Sanctæ igitur & diuinæ rationis præsidio salutari tuendæ & conseruandæ societatis humanæ, in qua natura inter nos cognationē quandam constituit, ut hominem homini insidiari nephas sit. y. Iudices sumpserunt exordium a Deo æterno, qui fuit & est primus & maximus iudex uiuorum & mortuorum, Creato namq; mundo & ho-

t. Deuterono[m] c.xvii. & in.c. uenerabilē. q[ui] fi. sint leg. §. [...] tionibus.

u. in. d. c. per [ue]nerabilem.



x. vt Plato do[...]

y. l. vt vim. ff. iust. & iu. c

mine cum cæteris animantibus & relictis in paradyso uoluptatis ipse Deus supremus Iudex legem tulit.3. transgredientibus primis parentibus, eiecit illos de paradyso uoluptatis.7.Deinde Noe tempore genus humanum deleuit. & omnia animalia paucis exceptis.a.successiue usurpatis regnis & dominiis ministros constituit, Moysen & Aron fratrem suum.& per ministros gubernauit,usq; ad Moysi mortem Post gubernauere Iosue & alij usq; ad illum sũmũ diuinũ & æternũ rerũ opificem.huius sacrosãctæ domus Ro. Ecclesiæ fundatorem & cõseruatorem Christum Ihesum Seruatorem nostrum,uerũ Deum & uerum hominem,qui postq; Ioannes Baptista uerissimus propheta,fame & macie in heremo confectus,solitudine sqalidus uix animalis pelle tectus pœnitentiam prædicauit, clamitans uox eius intonuit. Ego uox clamantis in deserto,dirigite uiam Domino, rectas facite semitas eius, aureo illo Augusti tempore, quo pax alta per omnes & tranquilla quies in omni terra uigebat Angelo annunciante ex Maria Virgine, regia progenie, nobilissima tribu Iuda, ut ab æterno diuinitus fuerat constitutum Spiritusancto conceptus est. Isaia teste dicente. Ecce Virgo cõcipiet & pariet filium,& uocabitur nomen eius Emanuel. Octauo deinde calẽdas Ianuarias sine Matris dolore.b.uirgineo uentre in Bethlehem Iudæ cœlorum conditor diuinitus humili loco natus,pannis uilibus inuolutus Puer nobis datus est,& ut legem ad impleret circuncisus pastor saluberrimus, qui salutẽ humano generi (prout Angelus prædixerat) attu

[Margin notes:]
.Genes.i.ii.cap.
z.Genes.c.iiii.
.Genes.c.xi. & sequentibus.
Moyses.
Iosue
.vt scribit Euse... i's.

lit, Ihesus ut populum seruaret, & Christus quia Pō-
tifex in æternum factus esset, appellatus. Duodeci-
mum annum agens templum ingressus, cum docto
ribus sapientia & doctrina supra hominem egregie
disputauit, & uelut sydus fulgentissimum, specimē
suæ diuinitatis ostendit, ut omnibus admirabilis ui
deretur. Trigesimo suæ ætatis anno ab eodem Ioā
ne Baptista baptisatus, multis miraculis fulsit & cla
ruit, Inter alia aquam in uinum conuertit ægros mul
tos sanauit, lumen cæcis, auditum surdis, mortuis ui
tam restituit, & claudos ambulare fecit, multaq; sig-
na mirabilia ex eo uisa sunt, Electis sibi discipulis,
sanctissimis uidelicet Apostolis salutis nostræ Au-
thor & Pastor saluberrimus tribus ānis Iudeis & ali
ĩs populis (ut quod perierat saluaret) euangelium
prædicauit, Veterū sacra oracula & alta ministeria,
& prophetarum arcana antiquæ legis ignota, diuino
pectore nota fecit, & aperuit, præcepta salutaria in-
stituit, quibus homo uitam mereret æternam, & qua
lem Christicolæ uitam tenerent ad beatitudinem cō
sequendam, ostendit, & docuit unum tantum Deum
cum Patre, se filio, & spiritu sancto, ex diuina maie-
state esse, diuino lumine & ardore declarauit. Petrū
Apostolorum principē, Vicariū suū cōstituit, & in ipsū
oēm pastoralē potestatē transfudit & tradidit, illiq;
suarum ouiū curā credidit, ac sibi & successorib' ap̄li-
cam sedē nouis sanctissimis legib' stabiliuit, & sic iu
deorum Sacerdotiū cessauit, & unctio, hoc ē, imperiū, & Daniel.
uerificatū fuit illud ueteris testamēti uaticiniū. Cum
uenerit sctūs sāctorum, cessabit unctio uestra, & aliud.

Non auferet sceptrum de Iuda neq; Dux de femo-
re eius, donec ueniat, qui mittendus est, & Sacerdo-
tium nouis diuinis Legibus & praeceptis in Christia
nos trāslatum, iuxta illud Apostoli dum dixit. Trās
lato sacerdotio necesse est ut legis trāslatio fiat. An-
no autem aetatis suae trigesimo tertio, Tiber j Caesa-
ris tempore, iudei Seruatori obijcientes, q̄ filiū Dei
se fecerat, & Regem dixerat, illum comprehenderūt
sicuti fuerat institutum, & Pōtio Pilato Praesidi tra
diderunt. & quamuis causa mortis rationabilis ali-
qua in eo inuenta non fuerit, quia semper sine pecca
to fuit, & in ore eius dolus repertus nusquā est, cruci
augustissimum corpus saeuis clauis, manibus & pedi
bus affixus, roseo sanguine aqua mixto, crudelibus
uulneribus fluente, crudeli & iniusta morte occisus.
Tunc horrifico murmure omnia tremuerūt, uelum
templi scissum est, & tenebrae factae tales super terrā,
ut atra nox solis lucem dispulerit, & multa sanctorum
corpora surrexerūt, marmoreo sepulchro conditus.
tandem tertia die (quemadmodum praedixerat) re-
surrexit. Transeo sanctissimum illius in coelum ascē
sum & alia nota. Sed ad fidei nostrae comprobationē
& conseruationem illud praetereundum non est, q̄
Petrus (super cuius petra dicta sacrosancta domus,
Ro. Ecclesiae Christi sacrosancto instituto aedificata
est) capite ad terram uerso, & in altum (ut uoluit)
pedibus eleuatis, ne ad similitudinem Dn̄i sui cru-
cifigeretur, crucifixus est, Is ille est, qui diuino lumi
ne primus in hac alma Vrbe Christi legem profes-
sus, ipsam almam Vrbem suo glorioso cruore mar

tirij

tirij, Christo Domino consecrauit, ut caput Christianæ religionis esset, & terrarum omnium Domina & arx, & quasi illius professionis uexillum, constantissime sustinuit & erexit. Tum Paulus qui ãtea Saulus uocabatur, electionis uas, uerbi Domini maximus concionator, qui tot populos suis sanctissimis concionibus, ad lucem ueritatis traxit eadem die qua Petrus crucis martirio coronatus est, capite truncatus fuit. Mox sequitur Andreas qui crucis supplitiũ tulit. Iacobus lapidatus & præcipitatus confractis cruribus, dum pro Carnificibus exoraret, fuste pulsatus sanctissimam animam eflauit, Ioannes Euangelista feruenti oleo positus. Ioannes Baptista decollatus. Bartholomeus decoriatus. Stephanus scabris saxis obrutus. Laurentius, candenti ferrea crate, multis suppositis prunis assatus, & in illa ferreis uncis reuolutus & resupinatus. Sebastianus acutioribus sagittis aggressus, a sagittarijs confectus est. Blasius ferreis pectinibus laceratus. Et quia iam finis spectãdus est, omittimus alios, qui pro Christi fide occubuerunt. Cardinales enim tunc instituti dicuntur, dum Siluester Papa primus generale concilium habuit. c. & licet dicatur debere esse septuaginta, prout septuaginta fuerunt Christi discipuli tamen arbitrio Papæ relinquit. d. Illi qui eligũt Papã sunt amplissimi D. Cardinales. & talis electio ad eos pertinet. e. electusq; a duabus partibus D. Cardinalium nulla exceptione obstante est Papa. f. Diaconus Cardinalis Archiepiscopo pallium dat. Illud omittendum non est, q. ostieñ. Cardinalis Eps mãdato. Pp.

c. ii. q. v. c. presul & habetur p Oldrad. quodã cõsilio suo.
d. Arg. c. de cãis de offic deleg.
e. c. licj d electione. c. vbi periculum de electione li. vi.
f. d. c. vbi piculũ

g per.d.Ostien. & Ant.de But. in dicto.c. antiqua.
b Bald.in L. ad ditos.C.de appell. & Alber. in.l. additos. C. de episco. aud.
i.c.i.&.ii.de off. legat.li.vi.
m.titu.d leg.§.4
n.i cõsilio.399 quod icipit, uos estis lux mundi.

Imperatorem inungit & Max.Pont.illum coronat. g.Accedit & illud.q si Cardinalis obuiat ei qui ducitur ad mortem, potest illũ de consuetudine a morte liberare. b.Profecto maximae sunt authoritatis. ut eorum signatis litteris credatur. & si legatus mittatur dicitur de latere.& sicut Senatus assistit Imperatori. ita Senatus Cardinalium assistit Max.Pont. i.Quomodo autem illis scribatur. d titulis & praerogatiuis eorum Spec.notat.m. & Ludouicus Pontanus copiose.n.Dicẽdi de amplissimis Cardinalibus materia non deesset,& plurima alia praeclara hunc in locum congerere non grauarer, ni per alios doctissimos Viros.qui de Cardinalibus egerunt copiose & uarie,scripta essent,Quae cum saepius scripta sint frequentius lecta & non inaudita, ne uerbis prolixioribus rapiar,breuitatis rationem habens a me non erunt repetenda prolixitate sermonis.finẽ huic operi facio ad laudem & gloriam dicti summi rerũ Opificis Christi seruatoris nostri qui dictã sacrosãctam Ro. Ecclesiã formauit fundauit & firmauit. eiusq gloriosissimae Deiparae Virginis Mariae, Barionis Simonis,cui Seruator ipse noster coelestis regni claues tradidit, potestatemq ligandi & soluendi animas dedit,necnon electionis Vasis Pauli fidei nostrae propagatoris & uerbi dñi maximi concionatoris, qui tutelã huius almae Vrbis gerũt.

Erratum Solyman pro Solymam, fol. 9.

Romæ apud Antoninm Bladum Asulanum
M, D, XXXVI, quarto, id, Iul,




S·PETRVS
S·PAVLVS
PAVLVS·PP·III

